Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 207
Quelle:
Copyright:

in auxilium vocatis, quos inter in *Pſ.* XLVIII. etiam *Bernardum de Conſiderat. ad Eugen.* citari video. Spatium in fine relictum denotat, 'ατελον eſſe opus, Librariumque in ejus continuatione, neſcio qua de cauſſa, adhaeſiſſe.

II. *fol.* 135. ſequitur *Commentarius in Lamentationes Jeremie uel trenos.* Initium: *Eſt tempus flendi et eſt tempus ridendi. eccleſ. 3. Sicut dicit Jero. ſuper uerbum tempus flendi fuit iudeis euntibus in captiuitatem propter* &c. Finis: *et ne ultra memineris iniquitatis noſtre.* Confer *Cod.* CIV. et CV.

III. *fol.* 162. *Commentarius in Librum Sapientiae* hoc ſolo Titulo: *Prologus Sapientie.* Incipit a loco Eccleſiaſtici c. 43. *Uide arcum et benedic* &c. *Ex biis uerbis primo monetur amans notitia in ſacris litteris. Secundo innuitur quod eius noticia eſt nobis poſſibilis* &c. Sed mutilus eſt, et definit in expoſitione C. XV. v. 10. his verbis: *quedam uacua non laborioſa. ut* — — —.

Ejusdem Autoris eſſe omnia hactenus relata, ſuadet ipſa commentandi, ſcribendique ratio. Verum quis ille? *Elyodorum* unum aliquem ignota manus *Codicis* Operimento exterius adſcripſit, atque hinc in *Gesneri Biblioth.* legas: *Heliodori ſuper primam quinquagenam* (Pſalmorum utique) *in folio manuſc. bibl. Imperat.* Verum, ſi oculi aciem intendas, paullo ſupra *Elyodorum* illum, fugientibus licet ductibus, deprehendes: *Sileberti* vel *Gileberti do.* (ctoris) *ſupra primam quinquagenam pſal. Et ſuper Libr. Trenor. et ſuper Libr. ſap.* Atque hic ſe Literatis offert *Gilbertus*, *Gislebertus* ſeu *Sillebertus* cognomine *Univerſalis*, Gallus, aut Anglus, e Diacono *Antiſſiodorenſis* Eccleſiae et Canonico *Lugdun.* conſecratus anno 1128. *Londinenſis* Epiſcopus, in quem omnia congruunt. Praeterquam enim, quod in *Necrologio* Eccl. Maj. *Antiſſiod.* apud *Oudin. T. II. col.* 1015. adpelletur *Veteris et Novi Teſtamenti Gloſſator eximius*, extant in pluribus *Bibliothecis*, quarum nomina habes apud *Oudinum cit.* apud *Lelong Bibl. ſacrae P. I. poſt. Ind. p.* 744. apud *Caveum Hiſt. lit. Vol. II.* p. 212. apud *Tannerum Bibl. Brit. Hib.* p. 318. Exempla *mſs.* Expoſitionis ejus in *Pſalterium* et *Threnos.* Atque utinam doctis ejusmodi Viris et placuiſſet, et placeret in futurum, imitari, quod feliciter coepit magnus *Trithemius*, ſubpeditare ſcilicet *initia Codicum* ſibi viſorum, quo contentione inſtituta nullus dubiis locus relinqueretur, resque, quod ajunt, non incaſſum ad dominos clamarent! *Expoſitionem* quidem *Gilberti in Sapientiam* nullibi ſpeciatim memorari video, ſed ut praeſentem eidem tribuamus, cum ipſe Operum nexus, tum Autorum teſtimonia evincunt, qui eum *univerſa* Biblia expoſuiſſe conſentiunt. Obiit Vir *Bernardo Claraevall.* amicus intra annos 1134 — 39. Aliam *Threnorum* Expoſitionem e *Paſchaſio Ratbberto* compilatam ſub ejus nomine vide ſis in *Indice.*

LXXXVII.